

BORUSSIÆ EN-  
COMIVM.

**P**INDARVS in illa Oda, quæ literis aureis in templo Mineruæ consecrata fertur, celebrans Diagoram Rhodium Pugilem, Victorem Olympicum, ait patriam eius, Veneris esse filiam, & Solis plurimum adamatam coniugem, deinde Iouem ibi multum pluuisse auri, idq; propterea, quòd suam Mineruam colerent: quare & ab ea ipsa sapientia nomine, & ἐγκυκλοπαιδίας, quam impendio colebant, clarissimam redditam. Hoc præclarum Rhodiorum ἐγκώμιον an vlli præterea regioni hac nostra ætate, quàm Prussia (de qua pauca dicere in animo est, quòd ea forte tu quoque audire volebas) quis aptius accommodauerit, ego quidem non video. Nec dubito, quin eadem numina gubernantia hanc regionem deprehenderentur, si peritus aliquis Astrologus, diligenti cura, pulcherrimæ huius, fertilissimæ & felicissimæ regionis præsidentes stellas inquireret. Quem admodum autem Pindarus ait,

Φαντὶ δὲ ἀνθρώπων παλαιῶν  
 Ῥήσιες, ἔπω ὅτε  
 Χθόνα διατέοντο Ζεὺς τ' καὶ ἀθάνατοι,  
 Φανερὰν ἐν πελάγῃ  
 Ῥόδῳ ἔμμεν ποντίῳ,  
 Ἀλμυροῖς δ' ἐν βένθεσιν νᾶσον κεκρῦφθαι.  
 Ἀπέοντ' ὅτι οὐτις ἐν-  
 Δειξεν λάχ' ἁελίου,  
 Καὶ ῥά μιν χώρας ἀκλαρω-  
 Τὸν λιπὸν, ἀγνὸν Θεόν.  
 Μνασθέντι δὲ Ζεὺς ἄμπαλιν μέλο  
 Δειδέμεν', ἀλλὰ μιν οὐκ  
 Εἶασεν, ἐπεὶ πολιᾶς  
 Εἶπέ τιν' αὐτὸς ὄρᾳν ἐνδον θαλάσσης  
 Αὐξομέναν πεδόθεν  
 Πολύβοσκον γαῖαν ἀνθρώ-  
 Ποισι, καὶ εὐφρονα μήλοισι:

Ita olim haud dubiè Prussiam pontus habuit, & quod certius quis, propiusque signum capiat, quàm quod hodie in continente,